

ipsius opere, simile ac par sibi à discipulo suo redderetur. Non possum hîc, Candide lector, intermittere, quin paucis indicem, qua occasione opus dimidiatum mihi cesserit. Cùm in Academia Vitebergensi, in qua semper maximè floruerūt studia Mathematica, versarer, satis maturè animaduerti, quòd ad ea de quibus in principio dictum est, sine cognitione Doctrinæ Triangulorum nullus pateret aditus. Quare rationem inire cæpi, unde eam quàm commodissimè possem haurire. Erant in promptu Ptolemaica, erant etiam Copernicea. Sed tam hæc, quam illa aditu prohibebant, nisi aliquid aliunde afferres. Erant item libri Ioannis Regiomontani. Qui etsi mihi prolixiores videbantur, quàm vt intra mediocre temporis spatiū me expedire possem, tamen hos adire & consulere statui, præfertim cùm eos ad Ptolemaica & Copernicea intelligenda non parum facere animaduertērē. Iamq; aliquò progressus eram, cùm fortè fortuna in Dialogum Rhetici quem Canonius adiunxit, inciderem. Hunc semel atque iterum percurrens video, eum mira & cognitu dignissima promittere. Quid multa, ego his ita excitor & incendor, vt temperarem mihi non possem, quin primo quoque tempore ipsum autorem ad eam, & coràm de singulis cognoscam. Profectus itaque in Vngariam, vbi tum agebat Rheticus, humanissimè ab eo sum exceptus. Vix autem pauco sermone vltro citroque habito, cùm meæ ad se profectiois causam accepisset, in has voces erupit: profectò, inquit, in eadem ætate ad me venis, qua ego ad Copernicum veni. Nisi ego illum adijsssem, opus ipsius omnino lucem non vidisset. Cessauì hæctenus, nec dum Doctrinam Triangulorum Globi sine angulo recto attigi. nuper enim Logistæ mei ad Tertiam Seriem accesserunt. Quæ etsi quidem me non nihil remorabitur, tamen quia te & conuictorem & socium laborū habiturus sum, ad pertexendam reliquam Doctrinam me accingam. Tu interea te lectitandis nostris oblectabis. Mihi hæc accidebant gratissima, neq; in minima felicitatis meæ parte ponebam, quòd tanti viri consuetudine & familiaritate mihi contingeret vti ac frui. Quare vicissim ei meam operam ac studium deferebam. Iamq; tempus aderat, vt ad rem veniremus. Quare ille se ad explicationem duorum capitum xvi & xvii Mahometi Aratenfis confert. Quem sæpe tantis laudibus efferebat, vt aliquoties diceret, eum si præter hæc duo capita nihil reliquisset, tamen nominis immortalitatem meruisse. In his nanque duob. capitibus latere non tantùm fontem Doctrinæ Triangulorū Globi cum angulo recto, sed etiam Doctrinæ Triangulorum sine angulo recto. Dum igitur ille in horum capitum explicatione versatur, ego in lectitandis ijs, quæ iam perfecta atque absoluta erant, occupor. Quia enim videbat me & Elementorum Euclidis, & nonnullarum aliarum rerum cognitione satis instructum, non dubitabat, quin vtiliter & cum fructu meo in his versari possem. Accidit autem, vt cùm susceptæ explicationis finem ferè attigisset, Primæ ac Secundæ Serierum Canonis Doctrinæ Triangulorum

lorum